

www.e-rara.ch

Curiositez inouyes, hoc est: curiositates inauditae de figuris Persarum talismannicis, horoscopo patriarcharum et characteribus coelestibus

Gaffarel, Jacques

Hamburgi, MDCLXXVI [1676]

ETH-Bibliothek Zürich

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-46479>

Illustrissime atque excellentissime domine magne cancellarie et prorex [...].

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelinformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

ILLUSTRISSIME ATQVE EX-
CELLENTISSIME. DOMINE.
MAGNE CANCELLARIE
ET PROROX:

ILLUSTRISSIME. EXCELLEN-
TISSIME. QVE. DOMINE.
COMES.

Ipsa sibi met *Virtus* Merces est, &
Gloria præconium. Habet utraque
suos Cultores, & Amatores. Opti-
ma quæque, suo pretio resplendent
atq; æstimio; & quantumvis suo sufful-
ta stent *Felicitatis* tibicine, Laudem ta-
mē ab adulatione alienam admittunt.
Verē *Virtus* & *Gloria* *Oceanus* est; La-
tices suos fontes & fluvii ad illum ab-
legant, ut nihil accedat, quō assurgat
altius, nec capiat incrementum, ut ut
omnes Ingenii corporisq; vires ad eve-
henda æternitatis pignora conferant.
Quemadmodum verò Fluviorum un-
darumve accessum Mare suâ copiâ di-
tissimum non dedignatur: ita nec *Glo-
ria* admirantium cultum.

DEDICATIO.

Orbi testabor, quanti fecrim, ac ætatem facturus sim **NOMEN ALEFFELDUM**, mihi meisque benignum, quasi sidus, ortum de stirpe *Baronum* vetustissima, in Brunsvvicensi Ducatu, ubi ejusdem nominis oppidum reperire hodiernum licet. vid. Ab *Elverfeld* lib. 3. & post *Angelum Dni. Danckwertium* descriptione Holl. p. 16. Stemina est, quod ad invidiam usque implet solis utramque domum; quoque se effert gсорiosa nostra *Cimbria*. Injurius essem in promeritam laudem, animumque gratitudini consecratum nisi seriò venerarer. Quid? quod ipsa ingeniosa *Insignia* quiham, quanti que animi ex **ALEFFELDIANA** prosapia oriundi, Æternitati velificarint, satis superque indicent. Conspiciendas se, nisi molestum, me interprete Ingenii dotes præbent, Virtutes declarantur, Vires commendantur, ac Actiones, usque adeò, ut nil, nisi *Generositas prudens* & *Prudentia generosa* in Armis **ALEFFELDIANIS** resplendescat, ac ubique *Pietas* & *Virtus bellica* refulgeat.

Lau-

D E D I C A T I O.

Laudanda mihi pia mentis **SUBLI-
MITAS**. Illa salvo aliorum iudicio in-
digitatur per **ALAM**, cujus vocem ab
Ebræo אלהא *adscendit* non nemo dedu-
cit. Optimè in rcm Cypriani adama-
rus Magister S. F. Q. *Tertullianus* Apol.
adv. Gentes circa M p. m. 856 *Omnis
spiritus ales est.* Hinc redit ad Deum.
Eccl. XII. 8. *Lucretius* apud *Lactantium*
de opif. Deic. 19.

*Cedit idem retrò de terra, quod fuit ante
In terram. Sed quod missum est ex aetheris oris,
Id. rursus cali fulgentia templa recepat.*

Cœlestis enim originis mens corporis
humani hospes est, hinc animæ jugula-
tur *Mortalitas* Matth. X. 28. *S. Augu-
stinus* 10 de Genes. ad liter. c. 9. Non i-
gitur illud Anima est, quod Dædalo li-
gnea *Venus*, quæ infuso visceribus ar-
gento vivo, spontè, nullo extrinsecus
impellente gradiebatur, non quod *di-
scurrens in navi Nauta, in campo miles, in
domo servus, in urbe civis, in officina opifex,
in mola molitor, in plateis vagabundus
mendicus*, ut falsè & crassè philosopha-
tur Atheismi destructor, an astructor?
Tho: Campanella lib. 2. de sensu c. 18. Sed

DEDICATIO.

vivida agibilis substantia admirandæ pulchritudinis *Psyche*, quæ φύσιν ὀχεῖται ἔχει, naturam continet ac regit. Plato in Cratylo. Floter. diss. 1. q. 1. Illa tot expedita procis, *Penelope*, illa doctissimis Philosophorum decantata ἐνελέχεια vid. Marq. Freherus de Numis, illa cœli Regina, Regisque Regum Sponsa cœlestis.

Pythagoræ dogma est, Animam esse alatam. *Anima alata est*, dixit ille, & cadentibus alis ejus illa præcipitanter ruit in corpus, alis autem restauratis, mox ad locum, ex quo cecidit, revolat in cœlum & ad Deum. Petentibus Discipulis, quid facto opus, ut Anima benè alata eò perveniret? Aqua vitæ irrigandam, dixit animam Pythagoras. Illis instantibus, unde ejus daretur copia? respondit: *Paradisus Dei quatuor fluminibus irriguis nobis hanc aquam præbet, nomen fluminis versus Aquilonem significat rectum & justum: versus occasum pœnitentiam & purgationem: versus orientem Lumen; & versus meridiem quod tendit, pietatem demonstrat.* Verissimè Clemens
Alex,

DEDICATIO.

Alex., l. II. Strom. judicat, Gentes ab Hebræis sua hausisse mysteria, *Zoroastrem* sive *Chamum* à Patre *Noacho*, *Noachum* ab *Enocho*, *Enochum* ab *Adamo*, *Adamum* à *DEO*. Ab Ægyptiis, quorum haud dubiè *Doctor Josephus* Hebræus *ψcv. 22*, Græci mutuati. *Justinus Martyr* Ecclesiæ *Doctor* celeberrimus *Homerum* non minùs quàm *Platonem*, cum in Ægypto esset, *Theologiam* ex scriptis *Mosaicis* didicisse. *Autor* est *Parænes*, ad Gentes. *Numericus* apud *I. Duportum* *Cantabrig.* *Professorem*: τί βσι πλάτων ἢ Μωυσης ἀπικίλων ait: *Quid Plato* nisi *Moses* græcè loquens? præfat. in *Honorol.* Ex mente itaqve *Hebræorum* anima, quò purior, eò alis instructa efficacioribus. At verò *Christiana Religio* dixerit, *Animam* virtutum alis spoliatam, in quorumvis vitiorum præcipitari abyssum, immerfamq; voluptatum cœno, terrestrem ac ponderosam evadere, & melioribus præditam alis, ultra solis climata consequi *Deum*, cujus centrum ubiq; est, circumferentia nusquam. (Nam ut in *Gigantem*.

DEDICATIO.

*Quò fugis Encetade? quascunq; accesseris oras,
Sub Jove semper eris.)*

Et remigiò alarum virtutis ad lætam
 pertingere beatitudinem. Huc enim,
 uti videtur, *S. Augustinus* respicit, ex-
 plicat. in P. CXXXIX. 7. *Quas pennas*
vult assumere (fidelis anima) *nisi duas a-*
las, duo præcepta charitatu, in quibus tota
lex pendet & Propheta Matth. XXII. 40.
In duabus alis, ait idem Doctor Explic. in
Ps. CIII. habent animæ omnes pennas suas,
quia omnia præcepta legû in duo veluti di-
stingvuntur, charitatem scil. DEI & PRO-
XIMI. Quis ornata anima quasi li-
 beris *alis* & cum spiritûs amore directè
 ad DEUM avolat. Vid. Venerabilis
 Athan. Kircherus Obel. Pamphil. p. 119.
 Usurpavit olim, quid enim vetat adde-
 re? pro Emblemate Hieronymus Salent.
 Elector Colon. Testudinem alatam, per
 aëra volantem cum Lemmate: AMOR
 ADDIDIT. Innuens nihil non effici
 posse, modò adsit AMOR. Nihil quo-
 què tam difficile, quin vestigando inveniri
 queat. Dixeris utiq; Fidem & Orationem
 ipsissimas esse animæ alas. Alata olim
 pingebatur *Victoria*, eò, quòd parta, sta-
 tim

DEDICATIO.

rim sese in auras extolleret, nullis retarda-
 data obstaculis. Unde *Matthias Dux*
Austriæ eandem sermo in medio duarum
Alarum super rupem effigiatam denota-
 bat, cum inscriptione: AMAT. VI-
 CTORIA. CURAM! Antiquariorum
 Princeps *Guilielmus du Choul Consiliari-*
us Regis Galliæ & Commendator Delphi-
natus lib de Antiquitatibus Rom. diser-
 tè scribit: Les Anciens la figureret avec-
 ,,ques des ailes, qui portoit ala main une co-
 ,,ronne triumpante de laurier: & de l'au-
 ,,tre un rameau de palme, ayant les pieds sus
 ,,un globe. Domitian la fait peindre avec
 ,,un Cornucopie, pour monstrer quela vi-
 ,,ctoire aporte abondance de toutes choses.
 ,,Et paulo post: Et par terre vers de la me-
 ,,daille d'argent de *Lucius Hostilius*, la vi-
 ,,ctoire se Trouue peinte, portant donc
 ,,main, le Caducée, qui & la verge de paix de
 ,,Mercure: & de l'autre un trophée, ou
 ,,sont pèdues les despoilles des ennemys:
 ,,pour monstrer quela guerre & la victoire
 ,,apportent la paix p. 166. 167. Edit. Lug-
 dunens. Ao 1556. Ita *Titus Vespasianus*,
 sicut olim Athenienses, victoriam scul-

DEDICATIO.

pi iussit, absque alis, ut refert *Pausanias*
 in *Attic. Alcasar* 10 Apoc. p. 352. *Athe-*
neus Casaubonii p. 563. *Pierius* Hiero-
 glyphic. p. 257. Memorabile dicteri-
 um, quod *Horvelli* lib. de præcedentiâ
 Regum in Rege M. Britanniaë S. p. 40.
 memorat. *Gallisunt*, inquit, *ly*, quos *Angli*
toties profligarunt, volatu Ale anserinae &c.
 Edit. Londin. Anno 1664. Sed finxe-
 rint pinxerintq; Græci ac Romani Vi-
 ctoriam alatam, FIDEM salvificam
 certissimam esse Christianorum *Victo-*
riam, sacer codex omni exceptione ma-
 jor asseverat; *Hæc est victoria, quæ vicit*
mundum, Fides nostra. Quis est, qui vicit
mundum, nisi qui credit, quod Jesus est Fi-
lius Dei 1. Joh. V. 4. Esse orationem ultra
 uubes, ultra solis orbitam, ultra cælum,
 Ad thronum Ter O. M. Jehovæ ascen-
 dentem, nemo nescit Piorum. *Multum*
valet deprecatio justî efficax Jacob. V.
Ascendit Oratio & descendit Miseratio;
 Ingeniosè non minùs quàm verè *Jaco-*
bis Rex Arragoniæ florentem regiminis
 statû adumbraturus, *Cervum alatum cor-*
nibus aureis cælum solemq;, suspicientem

in

DEDICATIO.

Nummo præsentabat, hac cum inscriptione: CON-ESTAS! Aureis *cornibus* auri potentiam, *Alis* verò expediendi celeritatem designans. Vid. J. Typotius p. 181. *Aurum* enim multum posse *Philippus* Maceda novit, quem Galli hodiè imitantur. *Celeritatem* Filius *Alexander* *μὲν δὲν ἀναβαλλόμενος* Ⓞ, nihil cunctando toto Oriente brevi potitus, edocuit. Quod Chrysoſtomus Hom. 7. de pœnit. de Benignitate docet, aureas habere *Alas*, superare Angelos, eò quòd non aureis vasis DEUS egeat, sed aureis animabus. vid. Hom. 6 j. ad pop. Idem ego de optimæ mentis *alis*, *Fide* & *charitate* dixerim: *His alis!* Fide & Charitate! *His alis!* Fide & Oratjone! *His alis!* Fide & ſaocritate! DEO ac orbi placueris, his victoriam patraveris & impetraveris, his vitam, his felicitatem, his beatas ſedes conſequutus fueris! Victorioſa eſt profectò Pietas, & Ingenii ſublimitas? Ajunt *Syrenas* Acheloi filias provocare auſas fuiſſe, ſed victis ſyrenibus Muſas ex alis evaſiſſe pennas uſque coronaviſſe caput, ex Pausaniæ lib.

DEDICATIO.

Bæoticis. Quis nescit *Musas* lingua
 Fœa quasi homo *ufas*, invicem sibi ne-
 cessarias dici, Pinnarum acumina in
 fronte illis pingi, indicio est, sensus ea-
 rum subvectos resq; intueri altissimas.
 Videatur Cassiodorus in variis lib. 4.
 Ep. 8). *Vincit Syrenum cantum* (volu-
 ptates) & inde prorumpentia pericula,
 quisquis meliori ac vividiori mentis
 gaudet alacritate. Vid. *Vossius* de I-
 dol. lib. 2. p. 375. *Eminentia* quoq; sym-
 bolum fuisse *Alam* è *Causini* Notis disco-
 narrat, inquit ille, *Diodorus* lib. 1. Bibl.
Ex antiquis Ægyptiorum relationibus,
sacrum celitus ab accipitre allatum librum
puniceo circumligatum filio, ceremonias illo-
rum continentem, hinc illorum ἱερογυφικὰ
ἱεῖς, hoc est, sacros scribas Licium purpure-
um & acciptris *Alam* in capite gestare No-
 bilitatis apud Ægyptios monumentum. E-
 dit. Parisiensi An. 1647. p. 174. Con-
 fer. Nobilissimus *Tiraquellus* in *Alexan-*
dri Neopolitani lib. 1. c. 20. *Lipsius* l.
 3. de M. R. *Besoldus*, *Vidimus*, inquit,
 è Sinis parmulam, in qua scutum, in eo
 Galea aperto hiatu, supra Galeam plu-
 mea

DEDICATIO.

mea crista surgebat, prorsus ad morem
curiosa. Thef. Pract. p. 836. Ingenii
igitur cœlestis vigor & terrenas quis-
quilias dedignata mens, quæ se altius e-
rigit ALA ostenditur. Quo duce DEO,
ad miniculo nominis celebritatem con-
secutus *Gottschalmus Alefeldius*, Episco-
pus Slesvicensis, qui 24 annos Episco-
patui summâ cum laude præfuit, & An-
no 1541, naturæ fati concessit, apud *El-
verfeldium*. Excelluit hoc pacto Anno
1580 *Benedictus ab Alefeld*, Steinburgen-
sium Præfectus, *Friderici 2. R. D. f. m.*
Consiliarius Marschallus, Ordinis E-
lephantici Eques auratus, Latinæ, Gal-
licæ, Italicæque Lingvæ scientissimus,
cujus memoriam Fama & Virtus Ala
metuente solvi, orbi doctiori sisset. In-
concussa perstent *sub altissimi umbra A-
larum Alefeldiana Insignia & Nomina!*

II. Efferenda PECTORIS FIR-
MITAS. *Bis gemina signant Martia fa-
cta trabes! Canit Elverfeld. Trabs non
facilè flectitur, sed immota perstat, mo-
lem impositam sustentat, parietes con-
nectit: Animus robore suo munitus,*

DEDICATIO.

non huc aut illius arundinis instar fluctuat, sed suo loco permanet, suffulcit Rempublicam & secundum Deum sarram rectam conservat. Glorietur Christi sponsa: *Tigna domorum nostrarum Cedrina, laquearia nostra Cupressina Cant. I. 16. per Tigna Trabes accipiuntur.* Alludit ad Templum Salomoneum, ex lignis Cedrinis & cupressinis ædificatum. His verò fideles veræ Ecclesiæ præfigurabantur. *Tigna cedrina sunt virtutes solidæ, quatuor scilicet Cardinales, Prudentia Justitia, Temperantia, Fortitudo.* vid. Cornel à Lapide in h. l. ubi ait, *Tignis Cedrinis & laquearibus Cupressinis, utpote imputribilibus notatur Constantia in auris, quæ quasi trabes duramus, & omnia onera, ponderaq; imposta sustinemus. Constantiam itaque animi designant, quam Figura quadrata depingit. Fortunam globo insistentem Veteres picturarunt, nam*

Passibus ambiguis fortuna volubilis errat.

Et manet in nullo certa tenaxq; loco.

Sapientiam in quadro fixerunt. Pighius in Themide. Inter Quantitates & Figuras perfecta habita quadrata, Macrob. l.

DEDICATIO.

II. Saturn. c. 5. 6. Cœlius Rhod. lib. A. L. 22. c. 9. Apud Arcades lapillus Deastrorum supremus hac formâ expressus ob constantem sententiam. *J. Masius* sp. c. 78. n. 14. Ἀργίβιοι σεβασσι μεν, ὄντινα δὲ σὸκ οἶδα, τὸ δὲ ἀγαλμα ὁ οἶδον, λίθου ἦν πετράγωνου, h. e. *Arabes colunt quidem (Deum) quem verè non novi, simulacrum quod vidi, lapis erat quadratus.* Cl. *Seldinus* synt. 2. de Diis syr. c. 4. p. 292. Romani, quorum urbs hac forma excitata fuit, Agrorum Præsidem *Terminum* ponebant, Figura quadrata capiti supposita. Argutè *Asciatus* Emb. 157.

*Quadratum infoditur firmissima tesserâ saxum
Stat Cyrrhata super pectore imago tenus.*

De hujus cultu vid. Cl. *ICti* Dn. *Obrechtis* sacra *Terminalia* §. 6. Certis ritibus informi saxo rudiq; stipiti litarunt Gentiles, quibus declararunt nefas esse, publicos violare terminos. vid. *Laelius Bisciola* Tom. II. l. 12. c. 2. p. 895. Hinc *Ovidius* lib. *Fastorum* 2.

*Termine post illud levitas tibi libera non est,
Qua positus fueris in statione mane.*

Multis retrò seculis Regina *Semiramis*
Jovi Belo in urbe *Babylone* Templum

DEDICATIO.

drâ figurâ excitavit, cujus quilibet angulus quadrantem miliaris Italici adimplevit, *Alvernus* part. 2. p.180. *Simonides* Ceus, uti est apud *Aristot.* lib. II. *Ethic.* Virum bonum τὸ τετραγώνον nominavit atqve esse voluit, qui fortunæ casus concinnè ferret. Ille enim *semper sibi similis*, qui per omnem fortunæ & rerum commutationem firmiter consistit, accommodans se principibus simul ac subditis, sibi ipsi omnes concilians, & omnem ubiqve differentiam ad rectam rationem connectens, *Stobæus*, qui post Imperatoris Probi tempora floruit, ferm. 46. p.235. Edit. Antverp. 1537. *Ægyptii Hermas* sive statuas Mercurii *quadratas* in foris, in Academiis, in terminis propter solidam rationis & orationis naturam posuerunt. *Bisciol.* Tom. 2. l. 17. c. 6. Jidem Mercurium τὸ τετραγώνον dicebant ob quatuor inventa, & illum quoque, qui haberet *Genium, Fortunam, Amorem, Necessitatem*, ut nos τὸ τετραγώνον ἔχει τὰ τέσσαρα quadratum sive eximium, quem prædictæ Virtutes Cardinales quatuor exornant, *Vid. Plutarchus*

DEDICATIO

in quæst. Rom. 102: Ut enim corpus quadratum semper sui, quacunque feratur, simile est; Ita vir fortis, vir constans, vir propositi tenax, à quo vera stat ratio, vera causa, vera virtus, quadratam plane figuram refert. In quamcunque enim cadat sortem, in bono perstat, & cum Q. *Catulo* nec periculi tempestate, nec honoris aurâ unquam de suo cursu aut spe dimovetur. M. *Tullius* Orat. pro *Publico Sextio*: *Aliter timidi & meticulosi Astrologi, de suo aspectu quadrato judicant.* Cui ominosas in cœlo *trabes* visas adjunxeris, de quibus *Doctissimus Gallorum Gassendus* lib. 10. *Diogenes Laert.* v. 25. p. 1175. Et *Clar. Nitschius* *Ephem.* T. 4. p. 77. *Alexander VII. R. P.* ad *Pacem Monasteriensem* quondam *Legatus* cubo quadrato inscripserat: *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter.* *Prov. X. 9.* Certè, qui animo *Christiano* agit, fortiter!

*Fortior est qui se, quàm qui fortissima vincit
Mœnia, nec virtus altius ire potest.*

Ille id aget, ne ira, odium, aut invidia
Rationem præcipitet, aut eidem domi-
netur, uti docet *Illustris Saverdra Symb.*

DEDICATIO.

8. Sed ut in utrâque fortunâ eundem teneat cursum *symb. 33.* omnia ferat ac speret, *symb. 34.* Seprentrionalium rerum collector potissimus *Olaus M. de Gothis* refert, quod ex durissimis montibus flumine aut terræ motu disiectis columnas erexerint, altitudine 20. aut 30. pedum, latitudine 4. aut 6. inusitatis signatis characteribus, de quibus Daniae ac Musarum Decus *VVormius* in literis Runicis videri poterit, ita quidem, ut recta & linearis earum dispositio Pugilum certamina quadrata Bellatorum, orbicularis familiarium sepulturam, inclinata verò, trophæa erecta contineret, l. 1. c. 19. & 30. Quàm benè multas, si grati audire voluissent Majores, erigere debuissent suis belli fulminibus, pro Patriæ libertate fortiter occumbentibus columnas, ac bonæ memoriæ Cippos? Fortitudinis tamen laude quovis lapide ac ære perenniori nobilitatur Dux Belli Dithmarsici à Rege Daniae Johanne F. R. Anno Christi 1500. gesti, Dn. *Hansius Alefeld*, Qui cum decem ex Illustri ALFELDIORUM
profa.

DEDICATIO.

proſapiâ Viris, prius vitam quàm Fortitudinis gloriam amiſit. Cùm infracta hæcenus & propemodum invictâ *Dithmarſiâ* à *Friderico* II. Rege Danorum ac Norvvegorum invictiſſimo, ejuſque ſociis Illuſtriſſimis *Johanne* ac *Adolpho* Ducibus *Schleſyv.* & *Holfat.* expugnaretur, Dn. *Georgius Alefeld* de *Segarden*, & Dn. *Burchardus ab Heiligenſted*, in bello fortiter occubuerunt, ut inſigniorum & de *trabibus* omen adimplerent, ut ipſorum **MOLLITER OSSA CUBENT!** grata foveat Poſteritas.

III. Commendanda FIDEI AC VIGILANTIÆ DIGNITAS. Inter quadrupedes *Canis* fidelis, fidum æque ac vigilantiffimum Animal, quare in Inſigniorum ſummitate conſpicitur. Vigilantiâ in rebus Eccleſiaſticis, Politicis ac Oeconomicis opus eſt. Ut dormitantibus ac ſomnolentibus tempus fruſtra labitur, & ipſi fraudibus ſunt expoſiti atque inſidiis: Sic è contrario Vigilantibus nullum fruſtra tempus tranſigitur, nullumque momentum relinquitur inanimadverſum, *Jovianus*.

DEDICATIO.

P. lib. 4. de Prudent. c. 18. p. 388. Basil.
 A. 1538. pro symbolo itaque Vigilantiæ
 & Fidei sedet canis non jacet, bonus gre-
 gis custos canis. Remittendus est *Cice-
 roni* in Pisonem contemptus : His tu,
 inquit, Clodiane canis insignibus con-
 sultatum declarari putas. Vid. Cl. *Faber*
Sem. P. 1. lib. 1. c. 9. p. 67. Honoratior an-
 tiquis, dum in Galeâ collocatur. Ita
 ostendit in Veterum scriptis versatissi-
 mus G. *Stewechius* Notis in lib. 1. *Vegetii*
 cap. 20. *Plutarchus* in *Mario* ait ex *Tur-
 neb.* 1. advers. l. 28. c. 16. *Galeas Equitum*
Cimbrorum & plumis & horrendis hianti-
 um Animalium forma insignes describit. Et
 è re militari haud dubiè mos, quo etiam
 num hodie insignia familiarum exornata
 & distincta videmus, cum Galeis insident
 Leones, Lupi, Cervi, Canes, Aquila, Vultu-
 res, Dracones, & aliarum bestiarum sive
 capita, sive cornua, sive pedes, quæ (quasi
 minùs Christiana sint) improbasse scio *Vi-
 rum* multa lectionis & magni judicii *J. Lud.*
Vivem in suis symbolis. Paulo post ab *Ægy-
 tiis* descendisse observari apud *Diod.* *Sicu-
 lum* lib. 2. Ubi ille Reges eorum caput Leo-
 nis

DEDICATIO.

nis, Tauri aut Draconis Principatus Insigne, capite gestasse scribit. Nam semper in scripturis & apud externos scriptores canis vile animal habetur, cum per ipsum, qui oves ab omni hostium invidia tutas custodiunt, designetur, *Celeb. Kircherus O.P. l. 4. Id. Hier. H. 5. p. 295. Vid. J. Anton. Velazquez T. 2. in Phil. III. 2. p. 264. Pierius l. 5. Matrem S. Bernhardi in utero canem gestare & parere visam sibi Lorinus prodit T. 2. in Psal. 67. 24. Ob Fidem & Vigilantiam Canis custos Templorum.* Romæ in Templo fuisse pro Ædituis in Fano Vulcani Solis sacrilegis adlatrantem, ejusdem Deastri Templum custodivisse in Æthi- nâ, in Daunia Achajæ Minervæ Delu- brum, in Cretâ Dycææ Matris aditum Græcis abblandientem, Barbaris infe- stum memorat *C. Rhodig. l. 17. c. 28. Alex. ab Alex. l. 1. c. 3. (2) Urbis atq; Arcis ad Nuncios deferendos apud Polybium c. 31. Vid. Critici Senatus Princeps Casau- bonus Notis in Æneam Polybii T. 2. p. 1755. Amiteld. 1670. L. Bisciol. T. 1. l. 17. c. 11.* Tangit, dum taxat Cicero Cani-

DEDICATIO.

nium, qui eodem die, quo adeptus est
 Consulatum, obiit, septem enim hora-
 rum Cos. fuit, in quem sacrum
 somma: Mira fuit Caninii Cos: vigi-
 lantia, qui toto suo Consulatu somnum
 non vidit, Cicero. (3) *Signorum & ve-*
xillorum, Figrell de statuis p. 35. & 87.
 (4) *Corporum* Plin. l. 8. c. 40. *Rorazius* de
 P. A. *Solinus* c. 25. (5) *Gregis*. Canis cu-
 stos gregis bonus Pastor. *Masius* p. 894.
 (6) *Ædium* sive domorum. Laribus *Ca-*
nes appictos docet *Plutarchus* in Pro-
 blem. Causam hanc reddit, cum Lari-
 bus domus concredebatur, custodiã o-
 pus, ad declarandum erga domesticos
 amorem, & adversus exteros excitan-
 dum terrorem, ut *Canum* imitentur na-
 turam. *Rosin.* A. R. l. 2. c. 14. Venustè ut
 solet *Sulmonensis* Vates Fast. lib. 5.

Et canis ante pedes saxo fabricatus eodem
Stabat, quæ standicum Lare causa fuit?
Servat uterq; domũ? Domino quoq; fidus uterq;
Compita grata Deo, compita grata Cani.
Exagitant & Lar & turba Diania fures:
Pervigilantq; Lares, pervigilantq; Canes.

Videatur *Mendoza* *Virid.* l. 8. c. 6. p. 818.
 (7) *Exercitus*. *Polyenus* refert, Spartano-
 rum *Agessipolim* & *Macedonum* *Phi-*
lippum

DEDICATIO.

lippum Reges usos *Canibus* ad nocturnos transfugas explorandos & conqui-
rendos hostes, itemque latitantes l. 2.
& 4. Optimè huc quadrare arbitror,
quæ *Plato* lib. 2. de *Republ.* ubi militem
custodem civitatis informat, docet:
Naturam generosi Adolescentis, qui ad
disciplinam ejusmodi educitur, nihil
differre oportet à generosi canis inge-
nio; Virumque sagacem esse mansue-
tum erga suos, adversus autem hostes
immitem. *Cambesii* Manip. R-*Constantini*
p. 55. contra *Lambecium* in voce *κ-
νός*, quando asserit, Naturæ symbolum
esse statuam *canis*, quæ plurimis
maximis ac omnigenorum Animalium
capitibus circumdata figurabatur,
cujus schema in Notis de *Jside* exhibe-
tur. No. contendit Hieroglyphicum
fuisse Deæ, quam Græci *Nemesin*, cuius
justa tribuentem appellârunt. In Cane
igitur aliquid Numinis fingebant vete-
res. Vid. solertissimus *Ægyptiacorum*
Myteriorum Indagator Kircherus O. P.
p. 295. *Vigilantiæ fidissimi Canis, Forti-
tudinem* subjungam. In Provincia *Gin-*

DEDICATIO,

qui Canes adeò fortes esse, ut Leonem invadere & sistere possint. M.P. *Venerus* docet Hist. Orient. l. 2 c. 49. p. 105. Vid. *Saxo* lib. 6. p. 97. Colophonios & Cabasthalenses *canum* habuisse cohortes, quæ primæ dimicarent in acie, nunquam detrectantes pugnam, testatur *Solinus* cap. 20. *Plinius* l. 8. N.H. c. 40. Idem asserit de Cimbris. *Canibus* usos ad pugnam in præliis Magnetes. narrat *Aelianus* l. 7. c. 38. Apud Alanos Baltici Maris accolæ, canes patriam defendisse & sic ad pugnandum iisdem aciem instructam refert *Adam Bremensis* lib. de Dania in Republ. Daniæ p. 15. 16, Septentrionalibus adjutorio fuisse canes, scribit *Olaus M.* lib. II. c. 12. Quos non minùs equi Muscovitarum quàm Persici Equi Camelos horrent. *His* inquit, *canes saltu & morsu, prout assueti, naribus e quorum insidiantur, quò evenit, ut ea formidine subito se in posteriores pedes erigentes equitem abjiciant illico interimendum vel captivandum.* Idem Autor narrat, *Henricum VIII.* Angliæ Regem *Carolo V.* Imper. contra Galliæ Regem cum

DEDICATIO.

400 militibus totidem canes auxiliato-
res misisse lib. 17. c. 7. *Camer. c. 1. c. 24.*
Facile adducor, ut credam, neglecte cu-
stodiæ & defensionis poenam fuisse Ky-
voϕoεiav h. e. portare canem. Mos iste
Germanorum vetustissimus, de quo
Guntherus l. 5. Lygurrin. v. 195, seqq.

*Quippe vetus mos est, ut si quis Rege remoto,
Sanguine, vel flammâ, vel seditionis aperta
Turbine, seu crebris regnum vexare rapinis
Audeat, ante gravem quàm fuso sanguine pœnâ
Occipiat, si LIBER erit, de more vetusto
Impositum scapulis ad contigui Comitatus
Cogatur per rura canem consimilia ferre;
Sin alius SELLAM.*

Vid. Cl. *Rittershusius* de more isto in
Notis ad *Guntherum* p. 100. Ubi *Canem*
ferre *Contumaciæ, Sellam* sive ut *Colvi-*
us legit, *Felem* ignaviæ fuisse indicium.
Rotam Rustico impositam *Speidelius* ha-
bet in Notis ad *Thef. Besoldi* p. 520.
Lipsius c. 3. l. 48. Refert exemplum
Otto Frisigensis, & memorat à *Friderico*
Barbarosa Imp. condemnatum *Herman-*
num Comitem *Rheni* & decem ejusdem
Socios Comitesq; alios, quod se in Ita-
liâ absente, prædationibus & incendiis
pacem publicam turbassent, per inte-

DEDICATIO.

grum milliare Germanicum *Canem por-*
tare necesse habuisse l. 2. c. 29. *Limnaus*
 de J. P. l. 6. c. 6. N. 9. At verò *Canem à*
Liberis hoc est Nobilibus portatum cen-
 fet. J. Pflugius apud *Camerarium* c. 2. c.
 95. ut eos neglectæ custodiæ ac fidei
 admoneret, quæ erat excubare in arce,
 Regem, Principemve custodire ac de-
 fendere. Vid. peculiaris 7. *Andrea Crusii*
 discursus. Laudatæ Fidei illatam esse
 injuriam non arbitrariis, quæ Cl. Dn.
Zimmermannus in An. refert ex *Girald*
Cambrensi lib. 1. expugn. Hybernix c.
 17. *Murchardus*, inquit, vel *Muriartach*
 sive *Mauritius* Pater *Dermittii*, qui *Ang-*
los ad debellandam Hyberniam primus sol-
licitavit, paternæ memor injuriæ, summo
Dublinenses prosecutus est odio. In medio
 enim ejusdam grandis *Theo Tholseale*, ubi
 tanquam in foco pro rostris sedere consue-
 verant, Patrem ipsius interemptum, damno
 dedecus annectentes cum cane cives tumu-
 laverant, perpetratum facinus A. 1120.
 Hinc ei cum cane sepeliri ignominio-
 sum, M. 1. 1. 29. p. 36. Dubia sanè res
 est. Inhonestum fuerit apud *Dubli-*
 nen-

DEDICATIO.

nenses sepeliri cum cane, caruit igno-
 miniâ apud Græcos. Testis Doctissi-
 mus *Rhodiginus*, de quo Vir ad miracu-
 lum eruditus & Nob. C. *Barthius* cujus
 Præceptoris cineres veneror lib LX.
 Adv. *Ex universa*, inquit, *Antiquitatis*
serie observatione tam locuplete, tam multa
congescit, ut simile ab uno homine nihil un-
quam in literas missum videri possit. *Le-*
thargus, scribit, *Rhod. Hypomenis, cum*
Domino sepultus dicitur lib. 17. c. 28. Nec
 apud Danos & Sveones inglorium,
Asuitus Biornonis filius morbo consum-
ptus cum cane ac equo terreno mandatur
antro. Saxo Hist. Dan. lib. 5. p. 91.
 Soræ 1644. Cui ad stipulatur Episco-
 pus Skalholtensis *M. Brynolphus*. *E-*
quum, ait, *veteres Danorum Heröes ac Pro-*
ceres tanquam Bellatoris insigne, Canem
seu Venatoris unâ secum condi volebant, ut
quibus in vitæ rebus ac studiis se oblectas-
sent, iisdem in morte comitati deponeren-
tur, aut etiam in altera vitâ ex illis usum
exspectabant. *Viva autem hæc anima-*
lia esse sepulta credo. Hæc in suis con-
 jectaneis Brynolphus Svenonius apud
 Cl.

DEDICATIO.

Cl. *Stephanium* in *Notis Sax.* p. 125. Argumento hæc & similia esse possunt, noluisse à fidis suis Comitibus, Græcos, Syeones, Danosque neque in tumulo segregari. Sequiora Canum fata fuerunt, de quibus *Plutarchus* lib. de *Fortit. Rom.* scribit, suo tempore adhuc quotannis *Canem* cruci affixum in solempni pompa fuisse circumgestatum: similiter & *Anserem* sed intertextæ vestis stragulae mollissimè incubantem, quòd Gallis capitolio imminentibus Anseres vigilassent, Canes dormitassent. Quo significare volebant summis atque æternis honoribus dignos esse, qui vigilia Patriam suam servant, ignominiosissimâ morte afficiendos, pro Patriæ commodo non vigilantes. *Plin.* lib. 29. *N. H. c. 4.* *Gretzerus* de *Cr.* lib. 1. c. 38. p. 124. Labem faciliè abstergent quæ jam jam commemoranda. Honori cedit, quòd Canis nomen inter *Astra*. Vid. *Bisciola* T. 2. lib. 12. c. 2. *Talentonium* lib. 2. c. 10. *Gr. Tholos.* Synt. T. 2. lib. 4. c. 41. *Galba* Imp. in sigillo à Majoribus accepto habebat canem è pro-

D E D I C A T I O .

prorâ naris prospectantem apud Dion.
Rhodiginus lib. 6. c. 12. in fine. Apud
 Persas æstimabantur Cyri Regis causa,
 quem canis ubera suxisse tradit *Justinus*
 lib. 1. & propterea hanc pecudem in
 pretio haberi Vir Doctissimus *Schikar-*
du in suo *Tharich.* ex *Sachas* f. 136. do-
 cet: *Cores Rex vocatur Ben-Calba filius*
canis; quia cum Avus (Astyages) eum
mandasset occidi, projectus fuit in desertum
aliquod, & suxit lacætæ canis: cùmq; cre-
visset, interfecit Avum in bello (*Justinus*
regnum non vitam abstulisse scribit.)
Propterea honorant Reges Persarum Canes
ut annotant Magistri nostri ad Textum
(Nehem. c. 26.) Schelech accubat juxta
 Regem &c. *Rafid* de Cane interpreta-
 tur prope *thronum* lasciviente. *Herodo-*
tus in *Clio* aliud recenset, *Nutricis Spa-*
co, h. e. canis, dictæ nomen fuisse. *Rho-*
diginus l. 17. c. 27. *Parysatin* Cyri ma-
 trem extitisse, *Rhodogin.* lib. 23. c. 7.
 asseverat. De *Cyri* nomine inter do-
 ctos litigium exortum. *Strabo* à fluvio
 deducit *Geogr.* lib. 15. *Suidas* in voce
Cyrus à *lusu* inter adolescentes, un-
 de

DEDICATIO

de Kúe. © Princeps dictus, sic Græca ef-
 fet appellatio. *Vitalpandus* l. 3. c. 2. à
 Cane. *Plutarchus* in vita *Artax. Mnem.*
Syrus, inquit, *Persis idem est quod sol.* A
 vero alienum non videtur, Persam Per-
 sicâ voce fuisse insignitum. Mirum cui-
 piam à Cane Regem denominatum: at ma-
 jori admiratione dignum CANES fuisse
 REGES. Etenim singulare est, quod
Annalium Dan. svavissimus conditor
Saxo l. 7. H. D. de 5 Gubernatoribus re-
 censet p. 135. *Gunnarus Norwagiae hostis,*
ut devictos inusitata conditione multaret,
Rectoris loco canem eis præponi curavit, Sa-
trapas quoq; constituit, qui sub ejus titulo
privata publicaq; negocia tuerentur, cujus
jugi custodia distinctos Procerum Ordines
applicabat: Statuit insuper, ut si quis Auli-
corum Ducis sui despicabile duxisset obse-
quium, variosq; discurrentes incessus plenis
venerationis obsequiis insequi supersedis-
set, membrorum clade supplicia lueret.
 Haud absimile huic, quod *Snoro Sturle-*
sonius recenset de *Oisteno* quodam *Up-*
landiæ Regulo, veritatis Tyranno, qui
Truntheimensibus olim CANEM
 RECTO.

DEDICATIO.

RECTOREM præfecit. *Interfecto*, ait, à *Truntheimsibus*, quos variis cladum generibus vexaverat, *filio Oisteno*, is ira & furore percitus, cum validissimo exercitu in territorium *Trundorum* erumpit, omniaq; passim loca ferro, igneq; populatur, tandem devictæ *Trundorum* genti hanc detulit conditionem, ut vel servum, nomine *Faxe*, vel canem suum nomine *Saer*, in Regem sibi eligerent, illi statim abjectissime sortis homini Canem prætulerunt, existimantes se sub bellua majori libertate fruuturos. Ne verò Regem haberent omnisplânè rationis expertem, incantationibus & vi *Magica* tantum sapientia ipsi ingenerarunt, quantum tribus sufficeret hominibus. Duo verba latrando edebat, sed tertium articulata voce proferebat, *Aurea catena vinciebatur*: Si quando cælum erat pluvium, aut lutosâ viâ incedendum, humeris eum suis *Proceres* gestabant *Palatium* habuit in *Udreomi* in colle de ipsius nomine. *Sæers* foi appellato, situm. Tandem à lupis frustatim est discerptus (indigna innocuo *Regulo* sorte ac morte) in *Chronico Norvveg.* p. 73. apud *Eruditissimum*.

DEDICATIO.

mum, Stephanium in Not. lib. 7. Sax. p.
 160. 161. Portentosa alias *Canum* fuit
 loquela. *Plutarchus* in Cimone narrat.
 Cimon Atheniensis cum contra Cy-
 prios aut Ægyptios pararet milites, &
 iam in littore maris constitissent copiae,
 horrenda illi species oblata est. Vidit
 enim canem quendam laceffitum latra-
 re, & inter latrandum verâ humanâ
 voce uti. *Astyphilus Posidoniates*, Vir va-
 ticini peritus ei que familiaris, Mortem, ait,
 hanc sibi speciem prælagire. Vide *Plin.*
l. 8. c. 4). Ex cum illo *G. Stengelium* de
Monst. c. 6. n. 13. Sed ante hos, quos re-
 censui, populos in honore Canes ha-
 biti. *Ægyptii* Anubin sive Osiriden sub
 signo canis effinxere, custodiam inu-
 entes apud *Celeberr. A. Kircherum* lib. 5.
Obel. Pamph. pag. 441. *Æthiopus* in
Proemphana Canem pro Rege veneratos,
 asserit *Plinius* lib. 6. c. 30. & è motu augu-
 ratos imperia, & si caudâ adularetur,
 propitium, si latraret iratum, credidisse
 refert *Ælianus* lib. 7. c. 40. p. 454. Satis
 est, quod *Johannes de Bado* aureo Tr. de
Armis p. 15. adfert : *Canem*, inquit, in
armis

DEDICATIO.

armis portare, significat virum benevolum, fidelem Bellatorem, qui Dominum deserere non proponit neq; vitâ neq; morte, & pro Domino suo morti se exponere paratus est. Cchassan de Gl. M. Confid. 78. Nic. Uptonus de Milit. offic. lib. 4. In Militia & Provinciarum Canone frequentissima est Canis gestatio, ait Nobil. Dn. spelmannus, quem Pierius lib. 5. p. m. 42. Ob animi generositatem pro milite interpretatur, qui nec a versos morte sterneret, nec imbecilles, nec fœminas, nec pueros provocaret, ideoq; in Menapiorum & Tertio-Decimanorum Clypeo adscriptum, obsequii, amicitia, fidei, animi grati symbolum. Qui Gra-torum nomine sub Magistro Peditum in occidente dicebantur, duos dimidios canes erectos, pedibus colludentes in caruleo clypeo gestabant. Et paulò post: Nec temerè est, quod in sigillis Angliae Regum, Rex ab antiquo pingitur, parte una in folio cum sceptro paludatus: parte alterâ equo insidens cataphractus Cane Gallico succurrente, Aspilog. p. 125. Londin. 1654. Unum addam: Cum ad Valentinum in Belgio exercitui Francisci Galli Imp.

Ca

DEDICATIO.

*Caroli V. Exercitus oppositus esset, passus
 circiter 500, accidit, ut Canes castrenses sæ-
 pius extra castra procurrerent, tandem eti-
 am infestis dentibus concurrent. In eâ pu-
 gnâ Canes Casariani Gallicanos in fugam
 coniectere, quâ victoriâ Casarianus miles e-
 ventum coniecit, ac animus eidem mirificè
 crevit, Cl. Pickartus Decad. 3. Ob. c. 5.
 p. 151. Vir profundæ Eruditionis Son-
 stonius in Adm. Anim. Camer. C. 1. c.
 24. p. 123. c. 2. c. 93. 94. Plura hoc in
 negotio non tango; ctsi plura ad ma-
 nus. Ut Fidei litemus, Fidei Encomio
 dignissimos censem Heroës Inclytos
Henricum & Nicolaum Alefeldios, qui ve-
 xilla in Bello Dichmarsico A. C. 1404.
 ferentes, gloriose occubuerunt. Lau-
 dem merentur *Dn. Hansius ab Alefeld*
 Dux Belli Dichmarsici A. 1500. à *Johan-
 ne Rege Daniæ F. R.* gesti, cum decem
 ex *Alefeldiano* stemmate progenitis Vi-
 ræ non Gloriæ faciens jacturam. Vid.
J. Elversfeld de Holsac. Tam indelebile
 fidei Nomen, quid aliud meruit, nisi æ-
 re perennius monumentum apud *Loni-
 zerum & Guichard.* p. 415.*

Justi-

DEDICATIO.

*Iustitia est mihi cura sacra, quam fortibus ausis
 Defendo; ingenti pectore terror abest.
 Fida mihi Pallas socia est, hac suggerit arma
 Lata, quibus vanum vinco fugoq; metum.
 Haud temere est animus, caput objectare periclis,
 Ad dita ne risu damna pudenda feram.
 Pro Patriâ pulchram propero per vulnera mortem.
 Et vita potior, hic mihi laudis amor.*

Scribam quod res est. Dum *Galeam* bel-
 licæ virtutis testem intueor non *clau-*
sam, sed aperto hiatu cancellis fenestra-
 tam, quæ verba ex *Besoldo* liceat mihi
 repetere, ob *consulendi* scilicet faculta-
 tem & libertatem, & liberum in Regis
 & Principis Regniqve & boni publici
 commoda prospectum illorum *qui Boni*
seculi sunt Instrumenta, ut loquitur *Sym-*
machus lib. 4. F.p. 7. sed *clatrhatam* id
 est, silentii repagulis munitam; quia
οὐκ ἔστιν ἀκρίδιον πέρας, quo olim ex *Athe-*
modo Aristides in defensiene Periclis u-
 tebatur. *Plutarchus* in *Apopht.* Augu-
 sto adscribit. Romanæ fidicen *Lyræ*
Od. 1. 3. suum facit: *Est & fidelituta si-*
lento merces. Consilii altera manus,
 munus Cæli. Sed *Coronatam* video! Ac
 cur corona incumbit *Galeæ*? *Coronati*
 quondam *Templorum Ministri*. vid.

DEDICATIO.

Ælian. l. 3. V. H. c. 3, *Tacit.* l. 4. H. R. Card. lib. 14. de R. V. c. 73. Morem istum Gentiles suffurati, Ebr. *Pontifici* Ex. XXVIII. 4. 36. seqq. Vid. Consult. P. *Faber.* sent. T. 3. c. 25. p. 417. (2) *Neogami.* Vid. cl. *Brisconius* de R. N. p. m. 4857, A. *Sardus* de R. G. l. 1. c. 5 *Petrus Sainct Floir* Montisp. Hist. R. M. p. m. 91. Cl. *Hildebrandus* lib. de Nupt. V. C. X. 3. seqq. *Dn. Lankischius* connub. c. 16. (3) *Hospites & Convivæ* Conf. Antiquit. convival, exhibitor lautissimus G. *Stuckius* l. 3. c. 26. lectissimas *Faber* d. l. mensæ (quæ Terræ mari cinctæ sive coronatæ Emblema est) coronam gemmis distinctam adscribit. *Clem. Alexand.* l. 6. Strom. mensam panum propos. Ex. 28. eum terrâ confert, unde haud dubiè *Priscorum* mos coronandi. vid. *Celeb. J. Meursius* Roma Lux. c. 9. p. 40. (4) *Profecti & Reversi*, unde & navibus coronæ impositæ. Vid. hâc de re pluribus *Dn. Schefferus* de milit. N. p. 43. 201. 267. seqq. quod proposito meo inservit, coronati legitime certantes atqve orantes. Vid. *Aul. Gellius* N. A. l. 5. c. 6. P. *Caroli* l.

DEDICATIO.

3. c. 16. Guichardus de A. T. c. 16. Doctiss.
Sagittarius libro insigni de Januis c. 30.
Cl. Jonstonius Fol. Ph. 1. 3. § 146. Hinc
Naso l. 3. Tristium Fl. 1.

*Causa superposita scripto testata corona
Servatos cives indicat huius ope.*

Annon igitur coronata Alefeldiorum
Galea Fidem Victricem, Regiam virtu-
tem, declarat, virtutisque designat Glo-
riam? Personas quippe Illustres coro-
nam supra galeam gestasse, Apulejus de
minerva loquens tadit, *caput tectum ful-
get Galea, & ipsa galea ole agena corona te-
gitur*, l. 10. At verò felices, quos Re-
gum Monarcha scuto bonæ voluntatis sue
coronat V. 13. Hi utriusque fideles usq;
ad mortem, quibus corona datur justitiæ,
Christi Regis justitiâ nobis parta 2 Tim.
IV. 8. Vid. J. Lydius Agon. 5. c. 40. Co-
rona vitæ Ap, II. 19. de qua illud Ma-
nilius lib. 1.

*Hæc æterna manet divisq; finillima forma,
Cui neq; principium est neq; am, nec finis in ipsa.*
Quin ipsi justî Diadema speciosum in ma-
nu Jovis & corona Regia in manu Dei Fl.
LXII. 3. de quo *πλομαδέσει* C. Gata-
kerus Magni Patris filius laude meâ ma-

DEDICATIO.

ior in Advers. S. c. 24. Vid. Fdit. Lond. 1654. Sic gloriose triumphant, quos τῆς συμπύσεως ἐκκλησίας σέφανος ὁ χριστός
Catholica Ecclesia corona Christus. Apud Clement. Alex. 1. 2. Pedagog. c. 8. Reges fecit Ap. V. coronâ illâ *Amaracthinâ* 1. Pet. 1. 5. æternum felicissimi!

IV. Condecoranda ANIMI TRANQUILLITAS.

Si Heroës sublimatum commendat ingenium, si pectoris robur addit, si vigilantia exornat, certè felicem reddit Mansuetudo ac TRANQUILLITAS. Et cui bono sedens in pulvinari *Canis*? Utitur istiusmodi Insigni Illust. Comes Dn. *Hermannus de Lynden* Liber Baro Imper. in Rechem, prout in Nummo est cernere. Antiquitatem involvit. *Sessio* quietem citra dubium ostendit. Nota *Stagyrita* lib. 6. Phys. sententia, *sedendo & quiescendo fieri prudentiorem, hoc enim situ anima quiescit, nec distrahitur mens ad aliud agendum aut cogitandum.* Apud Theologos sessio & sedere regimen & dominium denotat. Vid. Excell. Dn. *Dorscheus* Præceptor meus æternum honoratissimus Pentadec Diff. 14. §. 12. 13 seqq. Quo verò omine FULVINAR SUBSTRATUM se conspiciendum præbet? Religionis causâ olim adhibitum Autores exceptione majores testantur. In Publicis (1) in dedicatione Templorum *M. Tullius*

DEDICATIO.

lms Orat. pro domo suâ; *Aram & Adicu-*
lam & Pulvinar sub saxo sacro dedicit.
 Hinc pro ipso fano & profano Gentilium Nu-
 mine usurpatum docet *Servius* ad lib. 3. Georg.
Pulvinaria pro Templis ponimus, quàm sint
 propriè *Lectuli* in templis sterni soliti. Occur-
 rit illud *Horatii* od. l. 1. c. 37. de *Victoria Actiacâ*,

- - - *Nunc Saliaribus*
Ornare Pulvinar Deorum
Tempus erit Dapibus sodales.

Id est, *Lectisternia* in Templis exornare, ut cl.
explicat Lubinus Pulvinaria scribit *J. Cruquius*,
erant lecti deorum cum Pulvinaribus, in quibus
Dii accumbebant: aut tabulata, in quibus stabant
ad Aras ut altiores viderentur. Fiebant igitur
lectisternia in Templis, quæ dicebantur Pulvina-
ria, præterquam in Templo Herculis, qui nunquam
quieti assuetus erat. Comm. in h. l, p 88. Ant-
werp. 1579. (2) In Triumphis & oblationibus.
Romanæ Historiæ Princeps T. Livius Patavi-
nus lib. 45. Ep. p. 361. refert, cum ad honorem
Deorum pertineret, decrevisse senatum, ut quo-
niam Perduelles superati Perseus & Gentius Re-
ges &c. in postetate P. R. essent, quanta dona
ob devictum Anthiochum ad omnia Pulvinaria
essent data, tanta Prætores curarent danda. In
Pompa Triumphali ad patentia Deorum Fana
tricliniis passim stratis effusâ multitudo sacra
faciebat. Hinc veteres Deastrorum simulacris
lectos & Pulvinos (qui etiam Φαλάγγια sive
Machinæ dicuntur, quibus Naves subducuntur

DEDICATIO.

in portum, apud *Isidorum* lib. 19. c. 11. & *Schefferum* de Milit. N. l. 3. c. 3. p. 197.) in loco editiore sternebant. Vid. *Gvil. Chabotius* T. 1. in Flaccum p. 157. Basil. 1591. Addere licet, quæ *Emilius P.* in *Timotheo* recenset. Cum *Timotheus* Canonis filius Atheniensis & Athen. Dux multis præliis Lacedæmonios vicisset, & maritimum Atheniensibus cecissent imperium, victoria tantæ fuit Atticis lætitiæ, ut tunc Aræ publicæ Paci sunt factæ & pulvinar ei velut Deæ institutum. Vid. *Gr. Thol.* l. 11. de M. c. 13. p. 318. *Did. Nissenus* Politic. §. lib. 2. c. 2. part. 2. p. 41. (3) *In averruncandis malis.* Consuli quoque potest Romanæ Historiæ Scriptor *Livius* lib. 5. *Gravis*, ait, *pestilensq; omnibus animalibus ætas fuit*, (sub *Licinii* Magistratu prioris anni gelidam hyemem in sequuta) *cujus insanabili perniciæ, quando nec causa nec finis inveniebatur, libri Sibyllini ex Senatus Consulto aditi sunt.* Dum viri sacris faciundis *Lectisternio* tunc primum in Urbe Romanâ facto, per dies octo *Apollinem, Latonamq; Dianam, Herculem, Mercurium atq; Neptunum*, tribus quam amplissime tum apparari lectis poterat, stratis placavere. *Priva* in quoq; id Sacrum celebratum est. NB. *Tota urbe patentibus januis, promiscuoq; usu rerum omnium in propatulo posito, notos ignotosq; passim advenas in hospitium ductas ferunt: & cum inimicis quoq; benigne ac comiter sermones habitos, jurgis ac litibus temperatum; Vincit quoq; dempta in eos dies vincula: Religioni deinde fuisse, quibus eam opem Di tulissent, vinciri.* p. m. 284.

Idem

DEDICATIO.

Idem Autor lib. 20. cap. 19. *Cum Prodigia ait, Roma visa, nam in area Valiani & Concordia sanguinem pluit, & Pontifices hastes motas nunciavere & Lanuvii simulacrum Junonis Sospite lacrymavit, Patrum & Coss. decreto, supplicatio circa omnia Pulvinaria Romæ instituta.* Laudatus Historicus novum cap. in sequenti sub finem tradit: *Ubi terra movit in foris publicis, lectisternium erat Deorum capita, que in lectis erant, averterunt se, Lanaq; cum integumentis, que Jovi apposta fuit, decidit.* p. 277. lib. 41. Ita lib. 45. Epit. Anagninæ terrâ pluerat, & Lunavii fax in cœlo visa erat, & Calaciæ in publico agro M. Valerius Civis Romanus nunciabat è foco suo sanguinem per triduum & duas noctes mansisse. Ob id maxime Decemviri libros a dire jussi, supplicationem in diem unum populo edixerunt, & Lectis in foro sacrificaverunt: & aliorum Prodigiorum causâ diem alterum supplicatio circa omnia Pulvinaria fuit, & hostiis majoribus sacrificatum est, & urbs lustrata p. 361. Edit. Paricensi A. 1573. Lectisternium igitur ut Doctissimus in h. l. Godelevius observat, supplicandi Diis ritus fuit Romæ frequentissimus. Cum videlicet stratis in Templo lectis, Numina sibi propitia rebus gerendis exposcerent, & averruncandæ pestilentiæ opem quærerent. Paucis interjectis legimus, *Lectisternium in Capitolio sic celebrari solitum, stratis tribus lectis convivium Diis apponebatur Jovi, Junoni & Minervæ. Jovis simulacrum in lectulo reponebatur.* Juno

*** 5

verò

DEDICATIO

verò & *Minerva* in sellis sic appositis epulis non Dei, sed septem ipsi Epulones celebrabant. Vide *Gyraldum* Hilt. de Synt. 17. Nequid vanitatis solennitati deesset, Fasciculi de *Verbenis* facti pro Deorum capitibus ponebantur, *Struppi* dicti, Festo à *Strophis* sive *Coronis* *Plin.* l. 29 c. 1. *Turnebus* Anim. lib. 29. c. 1. *Verbena* autem quasi *Herbenæ*, non herbæ privatæ genus dicuntur; sed rami, virgæ, ac frondes omnium sacrarum arborum, ut *Lauri*, *Olivæ*, *Myrti*, & *Herbæ* puro ex loco decerptæ, quibus festis diebus *Avæ* coronabantur. Vid. *Stewechius* in *Plin.* lib. 22. c. 2. p. 1124. *Verbena* igitur fasciculi ex *verbenis*, & frondes virentes ac flores omnis generis odoriferi, ante ædes Deastrorum & in ipsis Templis sternebantur. vid. post summum *Angliæ* ornamentum *Seldenum* lib. 3. de *Synedr.* Ebr. l. 3. c. 14. Consultiss. *Dn. Clafenium* Tr. aureo de *Oraculis* G. l. 3 c. 18. deque *Musis* æternum benè merentissimum *Dn. Dilherrum* T. n. *Disf.* 19. de *Læuro Martia* §. 183. p. 620. Ex allatis conijcere licet. *Quietem* per *Pulvinar* & lectum denotari. *Vesta* in *Nummo* *Caligulæ* sedens dextrâ manu *pateram*, *sinistrâ* *hastam* terræ infixam tenet. *Vetere* *sdeam* sub *Loto* arbore juvenili ætate in sede quiescentem statuerunt, quo *perennitatem* *quietis* exprimerent, cum subscriptione *ROMÆ* *ÆTERNITAS*. *Perer.* *Hierogl.* l. 43. f. 319. *Partacie* *Japonenses* in urbe *Meaco* *Deubuti* ingens simulacrum habitu *Japonico* pedibus *decussatis*, insidens

DEDICATIO.

Rosa, cujus ambitus 167. palmas continebat, ut situ quietem & *Rosa* voluptatem immenſam denotarent, efformarunt. Deſideratiſſimus Germaniæ Præceptor Dn. *Urfinus* Th. Symb. 10. Indefeffus rerum abſtruſarum Conquiſitor *Kircherus* in *Sinâ* illuſtratâ de Rege *Sinenſium* refert; in effigie *Lamæ* id eſt, æterni Patris ſive Sacerdotis Sacerdotum, quem *Tartariæ* Regum ſubditi velut verum Deum magnâ munerum oblatione adorant, ſedet in obſcuro *Palatij* conclavi, auro argentoq; ornato, nec non multiplici ardentium *Lampadarum* apparatu illuſtrato in loco eminentiori ſupra *Culcitram*, cui pretioſi *Tapetes* ſubſternuntur, ad quem advenæ capitibus non apertis ſed *Sinenſium* more reſtiſ humi proſtrati, advoluti, non ſecus ac ſummo Pontifici pedes, incredibili veneratiōe oſculantur p. 72. 73. En *Majeſtatem!* En *quietem!* Notum erit 1657. Menſe *Octobri* *Inviſtiſſim* Imp. *Leopoldi* I. ſemper *Auguſti* Filium *Primo* genitum *Ferdinandum* &c. Quem dolor! imatura fata orbi *Chriſtiano* eripuerunt *Pulvini* *Phrygii* operis aureo impoſitum benedictiōnem accepiffe ſacerdotalem. Annon pro omine inſecuturæ quietis, cui niſi cœlum tantum pignus terræ invidiſſet. *Vota* omnium *Cervical* illud Regum *Perſarum* apud *Camerarium* Cent. 1. c. 20. p. 106. *M. L. Q.* fuiſſent apprecata, quem in ſplendidiffimo ſinu *Abrahæ* æternâ Regum Rex quiete & gloriâ beavit. Ut oculorum quieti, conſulam, *Trajani* Imp. ſymbolo claudere

DEDICATIO.

re lubido est: Fulmen super Pulvinar effingebat cum lemmate: LENIS SEVERITAS! ut Regni ac Imperii trauquillitas conseruetur, *Clementia* opus est & *Iustitia*. Felicitatem omnino omnem stabiliunt *Lenis severitas* & *severa lenitas*. Paucula II. de usu *Pulvinarium* in *privatis* annectanda. (1) In *Nuptiis*, Quietis procul dubio cupidi Romani, quando ad *lectum* Pronuba deducebatur. Lectus ille genialis velo erat reclusus, & *Sibus* dictus. Fœmina quoque *uenerabile* lectum illum in honorem Genii, duabus *Culcitr*is adornatum togâ straverat, Cl. *Dilherus* p. m. T. I. diff. p. 799. Conlulere volebant Neogamorum paci ac Concordiæ, ideo duas ponebant culcitrâs. (2) In *Conviviis*. De his evolvatur P. *Ciacomius* de *Tricliniis* p. 18. & *Fulvius Ursinus* de *accubitu* *Antiq.* p. 220. 234. (3) In *convuentibus honoratis*. Mali omnis res est, si cuiquam in Belgio *Pulvinar*, quo in confessu usus, domum remittatur. (4) In *somni delitiis* Augustum Imp. Equitis Romani ære alieno obruti, non vulgari pretio redemisse constat *Pulvinar*, ut somni super illhoc exploraret commoditatem, ex *Macrob.* lib. 2. sat. c. 4. Prodigus suæ Quietis reputandus *Italus* ille, qui equo ægrotanti *Pulvinar* aureum & sericum, ut sese haberet meliuscule substravit, in seriis nugatus apud Ingeniosum Anton. de *Burgundia* lib. de V. R. c. 22. *Bonum factum*, si quis animæ ac conscientiæ inserviat *Tranquillitati*, de qua *svavissima Magni Kirchmanni* diff. consulenda.

Sed

DEDICATIO.

Sed de his olim publicè in Excellentissimi Dn. KAII ALEFELDII Equitis Aurati, trium Regum *Consiliaris*, Gubernatoris Hadersl. &c. in hunc usque diem in tota Holsatiâ desideratissimi, *iustis funebribus* A. 1671. splendidissimis scripsi; quia monent ac muniant repero:

Quid sergi species Hecuba, cui Culcitra strata?

Quid signat pendens, Alaq, Trabsq duplex?

Nil nisi cara Fides, vigilataq, cura salutis

Traditur, immotus consiliq, vigor.

Illustrissime Domine, Magne Cancellarie?

Omni elogio eminentiora tua merita, admiranda Prudentia, enthea Svada, serius ac obsequiosus erga *Sereniss: nostrum* MONARCHAM, CHRISTIANUM V. PIUM & FELICEM TRIUMPHATOREM, cuius *Regnorum & Ducatum & Provinciarum* Commodis æque ac *Divi*, FRIDERICI III. Gloriosa, æternæque memoriæ, cui in deliciis eras, usque & usque hætenus prosperimè, *audiat invidia?* invigilasti, animus, augusto MAGNI CANCELLARIATUS splendore non ita pridem munificatus felicissima *Romano* quoque nota *Imperio* GLORIA, Famæ Cancellos super-

DEDICATIO.

supergressa Erudicio, Incredibilis Musarum Amor cujus instructissima selectissimorum Autorum Bibliotheca testiserit, illa gloriosa mihi meisq; concessa Gratia, quæ sæpius clementi immerentem alloquio dignata fuit, quid nisi Venerationem deprecantur submississimam, Virtutumq; Tuarum iuge præconium? quid nisi debitam Gratiudinem dedicationis interventu postulant?

Quemadmodum qui in agone contendit, nobiliorem quem novit, Ducem in defensionem ne à multis vi opprimatur, advocat: sic sublimatum ILLUSTRIS, T. EXCELL. Judicium, præsens opera, ne ab ignaris impugnari possit. Sicut à suspensû in Domûsatrio lampade multi lucem fænerantur: Ita, fat scio, à Nominis Tui Gloriâ sequentes paginae collucescent. Ignosce tamen *Heros Illustrissime* si in Augustarû Tuarum Virtutum Contemplationem abreptus, obsequium prodam, quod, ut DEO, REGI, PATRIÆ, DOMUI, MUSIS, BONIS, Mihiq; tandem Clienti Tuo indefinenter *floras & vivas* nunquam non

DEDICATIO.

non sed humiliter, sed animitus vovere
imperat.

Quid verò *Illustrissime* Domine COM-
MENS, de Virtutum Tuarum Excellen-
tiâ, de Pietate in Deum, Fide erga Regē,
Amore in Patriam, Adfectu erga Artes
Liberales, Munificentia erga Clientes,
Clarissimis mihi meisq; & multis exhi-
bitis meritis edisseram? Debitorem me
publica voce agnosco & profiteor. *Sem-*
per TEPATRONUM (*bona hora exau-*
diat?) tam in nitidissima tua Arce Sax-
dorfensi, quàm alibi, aut quando, quæ
Illustris Tua fuit Gratia concionibus
meis interesse haud dedignatus fuisti,
expectus. Penes me omnino.

Semper honos, Nomexq; tuum laudesq;
manebunt! Semper, dante DFO! vene-
rabor, nunquam, ut cum *Illustrissima Fa-*
miliâ votivæ felicitatis æternaturum
capias augmentum, precari cessaturus.

Accipite itaq; ILLUSTRISSIMI HE-
ROES DOMINI GRATIOSISSIMI
serenoq; vultu quem jam VOBIS DO-
DICO, CONSECREO. GAFFAREL-
LUM. Excipite, Non chartis tantùm
humilem Venerationem, constantemq;
obe-

DEDICATIO.

obedientiam testabor; sed calentibus, dum vivam, suspiriis, ut ipsa salus omnium, omniumq; REX ac Dominus noster JESUS VOS VESTROSQVE omnes & singulos diutissimè servet superstites, comprecabor, ac serò tandem in augustissimâ beatarum Mentium Sede inmarcessibili gloriosæ Vitæ, vividæque Gloriæ Adoreâ coronet; atq; interea in Terris *Domus, Gloriæ, fortunæq;* vestro Amplitudinem stabiliat, semper Illustriorem. Ego abhinc sub Altissimi Numinis Præsidio ac Gratia Vestrae umbone vivam.

III. III. Exc. Exc. V. V.

*Flensburgi. Anno
MDCLXXVI. d.
4 Julij.*

Devotissimus Cliens

M. GREGORIUS MICHAEL
P. R. Flensb. & jam
Svvaabstedens.